



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Duo Tractatus

Moneta, Giampietro

Marburg, 1628

III. Quid differant decimæ à primitis & oblationibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63048)

QUÆRO SECUNDO, Cur magis electa fuerit decima pars quam vigesima vel alia quora?

Respondeo, quod quamvis Innoc. in rubr. de decim. dicat, nullam posse assignari rationem, cum Dei incōprehensibilia sint iudicia: Host. tamen in c. à nobis, de decim. & S. Thom. d. q. 87. art. 1. quem sequuntur Tyndar. d. tract. num. 29. & Rebuf. eodem tractat. q. 2. nu. 8. dicunt † quod ideo Deus elegit numerum denarium, 6 quia erat † primus terminus numerorum, cum ultra 7 cum non procedatur, nisi iteretur, & sic aliquid perfectionis habet, ut etiam late inter ceteros ostendit Tirrag. de prescript. §. 1. gl. 4. in princip. & Petr. Bung. de myster. numer. tit. de numero denario, unde qui dat decimam retentis novem partib. significat imperfectiōnem ad se pertinere, perfectionem vero à Deo expectādam, & Deus istam † partem, tanquam Levitis sufficientem, & populo non molestam retinere voluit, ut scribit Abul super Matth. 23. q. 56.

Valet tamen consuetudo, ut loco decimæ vigesima, vel quintadecima, vel alia quora portio solvatur, ut jam præmonuimus, & latius trademus infra c. 5. q. 4. concl. 1.

QUÆRO TERTIO, Quid differant decima à primitiis, & oblationibus?

Respondeo, communem illam distinctionē esse, quod decimæ † sunt quora pars frugum, & aliorum licite acquisitorum debita ex præcepto ecclesie ministris, ut supra declaratum est: at vero primitiæ † sunt solum prima, quæ nascuntur, fruges, seu prima frugum pars; oblationes autē, quicquid Deo, vel ecclesie, ejusve ministris voluntarie exhibetur, regulariter loquendo. Hæc distinctio aperte colligitur ex Doct. fere omnib. sup. allegat. maxime vero ex Soto, d. l. 9. de just. & jur. q. 3. art. 1. & q. 4. art. 1. D. Thom. & Caser. 22. q. 86. & seq. art. 1. Rebuf. d. tract. q. 1. nu. 17. & seqq. Tyndar. eodem tract. numer. 84. & tribus seqq. Hispan. d. tract. reg. decim. q. 7. & 8. Petr. Greg. Tholos. partit. jur. can. l. 1. tit. 23. & duobus seqq. Doct. in rubr. de decim. Marian. Soc. in tract. de oblat.

oblat. libel. i. & quinque seqq. Froyl. Maluit simil. tractat. fere per totum.

SUMMÆ RERUM.

- 1 Genera decimarum quot, & qua sint.
- 2 Quarta Episcopalis, vel potius decima Papalis subrogata est loco decima, quam olim solvebant Levitæ sacerdotibus.
- 3 Oblationes, qua fiunt ad sacrificium quarundam decimarum veteris legis loco, subrogatae sunt.
- 4 Species decimarum quamplures, remissive.
- 5 Decimarum communis est divisio, ut alia sint pradiales, seu reales, alia personales.
- 6 Pradiales, seu reales decima qua sint.
- 7 Personales decima qua sint.
- 8 Venationum, & aucupiorum decima an sint reales, personales, vel mixta, & quid de foetibus animalium. num. seq.
- 9 Mixtarum decimarum species an detur.
- 10 Personales decima etiam nunc debentur. Idem, & multo magis de realibus, & mixtis. nu. i i.

CAP. III.

Quotuplex sit Decima.

QUÆRO PRIMO, Quot sint genera decimarum?

Respondeo, quod, ut habetur in c. i. de decim. olim

1 fuerunt in veteri lege † quatuor genera decimarum

Primum earum, quæ solvebantur à populo Levitis de quibus Exod. 22. & 2. Esdr. 10. Et hæc erat decima

frugum pars, quam etiam debet solvere populus Christianus, ut infra dicam cap. sequenti. Secundum erat earum, quas Levitæ ex decimis sibi solutis dabant sacerdotibus, de quibus num. 18. Et loco harum subrogata

2 est † quarta, quæ datur Episcopo à presbyteris parochialibus